

Dissertatio inauguralis medica de auscultatione ... / submittit Wolfgangus Foges.

Contributors

Foges, Wolfgang.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Pestini : Typis Josephi Beimel, [1840?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cjcqdpxh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

La.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
AUSCULTATIONE
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECT. D. DECANI
NEC NON CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE
IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE PESTHANA,
PRO RITE OBTINENDO
MEDICINAE DOCTORIS GRADU
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT
WOLFGANGUS FOGES,
BOHEMUS PRAGENSIS.

*In theses adnexas disputabitur publice in palatio
Universitatis minore die*

PESTHINI,
typis Josephi Beimel.

Worte sind gut, sie sind aber nicht das Beste. Das Beste wird
nicht deutlich durch Worte. Der Geist, aus dem
wir handeln, ist das Höchste.

Göthe.

On doit tendre avec effort à l'infalibilité sans y prétendre.

Malbranche.

Seinen hochgeehrten Gönnern

dem wohlgeborenen Herrn

D. Oestreicher

und dessen hochverehrter Gemahlin


Frau Karoline Oestreicher

widmet diese Blätter

als Beweis seiner Hochachtung

und Ergebenheit

der Verfasser.



Ad lectorem.

Magnorum virorum effatis dissertationi praefixis, ad ea, quae auscultationis obtrectatores contra ejus valorem protulerunt, brevi respondisse, insimul laboris mei insufficientiam et quoad formam et quoad materiam candide indigiturus, conamina haecce tenella, benevoli lectoris veniae commendasse velim. Attamen cum magnam sibi hodieum vindicaverit auctoritatem „novum auscultationis inventum“ non penitus inutilem laborem esse duxi, illius brevem hisce pagellis exponere conspectum. Si fors in Anglia et Gallia fervidiori nimium laude reeentem evehunt doctrinam, utpote quae firmiore symptomatum objectivorum basi, diagnosin morborum in penetralibus organismi reconditorum construere promittit; tamen germani et nostrates quoque sobrias castasque nunc instituendo observationes, eam tanquam non omni felici successu carentem, minime vilipendunt aut respuunt. Mathematicam quidem, ut aliqui ejus zelosi cultores jactantur certitudinem, hucusque praestare haud potest; ast penitus illusoriam, nec maximi nominis viri declarare sunt ausi. Cl. Hayfelder auscultationem inter momentosissima artis nostrae augmenta praedicatur. Absolutam infallibilitatem, nullum habet symptoma singillatim consideratum, in complexu autem reliquorum et auscultatoria pro confirmando verisimilitudine aut plane veritate valere, eum non fugiet, qui sincere perpendit, quantum ad develandam status morbos, essentiam et minima quaeque signa saepe contribuant. Observatorum autem hoc in obiecto desudantium discrepantia mira non est facile que explicandae divergentium opinones ex eo sunt,

quod nullus sensus tot hallucinationibus sit obnoxius ac auditus, et quod sonum apta reddere imagine nunquam verbis succedat. Diuturnum quoque et ineffessum exercitium, quo opus est, ut quispiam in auscultando securam acquirat dexteritatem, mox defatigandos facile ad damnandam doctrinam seducit. Interim cum recens doctrina, repentina capiat incrementa et per ipsorum cultorum crisim perfectior in dies reddatur, sperandum certo est, lucem illius magis magisque clariorem evasuram, face imprimis Anatomiae pathologicae eam illustrante. Jam vero singula auscultationis phaenomena ex theoria sonorum physica tortuose derivare, et differentias vel minutissimas longa sonorum terminologia assignare velle, arduum et inane negotium foret, simile Sphygmologiae imaginariae nonnullorum antiquorum. Sufficit cantu dignoscere alitem, quin cuiuslibet vocem ad amissim imitari aut verbis reddere queamus. Monet Anglus Latham auditores suos his verbis „adhuc nimis recens est auscultatio et bene cavendum ne in vanum abeat imaginationis lusum, quodsi mali naturam et sedem ea juvant, te divinari nobis successerit, conamen profecto omni utilitate carens foret, hypothesibus et subtili speculacione causas difficulter eluctabiles — verbosa facundia enodare velle, atque haec res fere ita se habet ac si quis libri perfecti et bene intellecti singulas voces et lineas numerare, studiose conetur. Ceterum sapienter et hac in re consultum erit, auream sequi viam medium, nec entusiasmo obcoecatum vana pro veris habere — sed nec ingenio indulgere cavillanti qui nuperrime hanc doctrinam flagello persequutus est satyrico.

Historica et litteraria auscultationis.

Auscultationem, seu methodum exploratoriam ope auditus aliqui auctores jam ab *Hypokrate* L. II. §. 59. indigitatam putant, dum aurem, ad detegendum serum effusum, admovere suadet, recentioribus autem temporibus primum initium cepit a percussione, quae auscultationis species tanquam hujus mater agnoscenda est. Primus, hocce investigationis modo usus est *Auenbrugger* medicus Viennensis, qui anno 1763. opus de eo objecto publici fecit juris. Oblivioni dein traditum, post dimidium seculum *Cörvisart*, partim per gallicam versionem *Rozierii de la Chassange* partim per *Stollii* opera attentior redditus denuo versum et commentationibus auctum eddidit. *Cörvisartii* discipulo *Laennec* (1816) totam auscultationis doctrinam fundatam et *Sthetoscopium* inventum in acceptis referrimus. Inventa vix doctrina et *Parisiis* et alibi locorum omnium attentione excitata, multos brevi nacta est cultores quorum celebrata nomina in locum elenchi litterarii huc subjungam. „*Bouilland*, *Piorry*, *Magendie*, *Andral*, *Lejumeau de Karadec*, *Martinet*, *Raciborsky*, — *Hall*, *Collin*, *Stoke*, *Forbe*, *Latham*, *Skudamore* — *Baumgärtner*, *Hayfelder*, *Nasse*, *Püchelt*. Recentissime viennensis *Skodda* integrum doctrinam severiori subjicit crisi et experimentis numerosis, sagaci ingenio institutis, eo pervenit, ut multis antecessorum theorematibus subversis, nova substituerit. Ecquidem maxima ex parte Gallorum et Anglorum vestigia sum secutus cum horum

theoria maxime sit divulgata, et quam *cl. Skodda* propo-
suit doctrinam, absque ingeniosi viri immediata instituti-
one, qua frui occasio defuerat, perperam fuisse conatus
intra arctos Dissertationis cancellos brevi adumbra-
re *synopsi*.

De Sthetoscopio.

Auscultatio vel ipsius auris applicatione vel Sthetoscopio exercetur alteram *immediatam* alteram *mediatam* vocant. Uterque modus suis gaudet commodis suis premitur difficultatibus, proprioque indiget quivis exercitio, tirones prius immediatam sibi propriam reddant et serius invicem apte conjungant.

Sthetoscopium *) est tubus acusticus inferius infundibuliformis, superius pro aure apponenda lamina orbiculari provisus. Optime conficitur ex ligno leviore, longitudo et constructionis modificationes ab auctoribus diversae assignantur, quae tamen essentiales minime sunt, sic *Skodda* unum pedem, *Piorry et Louis* 7—8 poll. longum commendant. Apertura inferior diametrum unius pollicis non excedat.

In exercitio ita procedendum est ut praevie in sanis, dein sub diverso statu morboso dexteritas in auscultando acquiratur et phaenomena in vivis observata, cum phaenomenis in extipiciis detectis scrupulose componantur et verificantur.

Sub applicatione Sthetoscopii sequentia obser-
ventur: Instrumentum ut penna scriptoria tribus digi-
tis apprehensum, caute parti vel nudae vel tenui linteo
tectae, apprimatur, ut hermetice inferius claudatur, ex-
tremo alteri auris apposita pressionem ne exserat, et aegro
molestam et thoracis motum expansivum et contractivum

*) Αγεθος pectus et αχοπτωτο exploros.

praepedientem. Aeger situ horizontali melius sedentario investigetur, cum in capite auscultantis deorsum vergente, sanguinis major affluxus aurum susurrum indeque facile hallucinationes produceret. Auscultatio fiat in omni parte, sub diversa functione tussi, respiratione, locutione, circum circa silentium observetur saepe et auris altera obturatur, primi soni non computentur.

Status normalis organorum Respirationis.

Sub inspiratione et exspiratione strepitus distinctus auditur gradariae thoracis expansioni et contractioni respondens qui ab aeris in cellulas pulmonum introitu et exitu producitur et inde nomine *Respirationis vesicularis*, v. *murmuris respirationis* (bruit respiratoire) venit. Intensitas ejus differt pro diversa profunditate et frequentia qua respirum hauritur, proinde ab aetate, sexu et individualitate pendet, et non minus discrimina elasticitas et crassities diversa ipsius thoracis parietis adserit. In sexu sequiori intensior ac in virili, in infantibus intensissimus deprehenditur unde in adultis quoque respirationis strepitus normali intensior *puerilis* salutatur. Raro strepitus respiratorius penitus desideratur, nisi quod in nonnullis admodum debilis sit. Maxime percipitur in fossa axillari, infra claviculas, inter scapulas et ad latus utrumque thoracis. *Respiratio vesicularis* s. *strepitus respiratorius* normalis ubique purus, conditionem pulmonum sanam aeri permeabilem enunciat:

Respiratio bronchialis quoque statu sano auditur, quo nomine insignitur strepitus priori fortior, productus a transitu aeris per laryngem, tracheam et bronchos, locis que his facile inveniendus, sub statu morboso autem et in aliis thoracis plagis cum strepitu respiratorio mixtus deprehenditur simul tum et *Bronchophonia* comparet,

Respiratio statu morboso.

Strepitus respiratorius statu morboso modo intensio-
modo debilior (raro penitus suppressus) est, prouti con-
ditio affectionis morbosa lumen viarum aerearum mutat.
Sic dum bronchia certis locis sunt obstructa vel spasmo
contracta et liber aeris aditus prohibetur ut in asthmate.
Catarrho, Bronchitide, sub hepatisation parenchymatis
vel fluido inter pleuram costalem et pulmonalem interce-
dente et pulmones comprimente, fit, ut parte altera im-
pervia, aer majori copia et vehementia in alteram a vitio
intactam agatur. Inde quoque explicatur cur in una plaga
altior seu puerilis emergat, dum in alia vix percipienda su-
persit. Infra claviculam vix unquam disparet.

Respiratio *bronchialis* dum in aliis ac supra memo-
ratis comparet locis, anomiae Respirationis indicium ha-
betur et bronchia majora praeter normam activa produnt,
eadem ceteroquin agnoscit causas varias ac Resp. ve-
sicularis abnormis, sed majori in gradu agentes. Secundo
Stadio Pneumoniae solennis, in excavationibus cum bron-
chis communicantibus, et in omni affectione qua pulmo-
nes meliores sonorum conductores evadunt.

Respiratio *cavernosa* auditur in plagiis infra quas ex-
cavationes vacuae a consumptione massae tuberculosae
exortae, aut vomicae evacuatae resident, cum bronchiis
communicantes sed et in dilatatione bronchorum a diutur-
nis catharrhis residua, majore tamen tum diffusione dis-
cernitur.

Strepitus respiratorius saepe ad Respirationem tra-
chealem accedit aliisque miscetur sonis qui collectivo no-
mine *Rhoncho* (Räle) insigniuntur *Rhonchus* oritur vel ex
miscela aeris cum fluido, vel ex sola tubolorum bronchi-
alium contractione, raro integros occupat pulmones; imo
in una plaga *Rhonchus* saepe in altera strepitus normalis
vel puerilis auditur.

Modificationes rhonchi.

1. *Rhonchus mucosus*, oritur ex transitu aëris per liquidum, pro cuius quantitate ac consistentia modo fortior modo debilior, modo continuus, modo intermittens emergit in majore gradu fit *gargarizans* ut in moribundis, imaginem ejus praebet, flatus aëris per fistulam in aquam saponatam. Adest in catarrho, in haemoptysi, in Pneumoniae stadio resolutionis, Phthiseos stadio ultimo. Secretionem muci in pneumoniae resolutione, Sthethoscopio citius saepe, indeque crisim factam agnovisse, testatur Baumgaertner

2. *Rhonchus sonorus* sonum stertentis hominis aut dum chorda instrumenti digito fricatur, aemulatur, causam agnoscit tubulos bronchiales incrassatos, adest in **Catarrho Bronchitide chronica et in Pneumonia notha.**

3. *Rhonchus Sibilus, Sibilatio*. Sub inspirationis momento, modo profundior modo clarior imo tinniens auditur, mucus viscidus minore quantitate in bronchiorum ramificationibus collectus sibilum excitare videtur, simul et sputa arboriformia vel forma globulorum pussilorum evacuari solent. Proprium Bronchitidis sub stadio acmes et anginae membranaceae symptoma, non diu perstans

4. *Rhonchus crepitans, Crepitatio* sonus qualem edit sal culinaris prunis inspersus, aut pulmones sani extra cadaver compressi, agnoscitur qua symptoma characteristicum Pneumoniae stadii acmes, sed nec in Oedemate et Emphysemate pulmonum deest, in hoc autem magis crepitationem siccam refert, talem fere, qualem producit motus folii siccii.

Hae diversae rhonchi species alias atque alias subeunt mutationes, quarum diversas modificationes nominibus propriis insigniunt auscultatores, quae tamen immediato exercitio melius ac verbis cognoscendae erunt.

Symptomata auscultatoria vocis.

Vox hominis cantantis aut loquentis in cavo thoracis producit vibrationes, quas manus apposita sentit. Auris admota sonum quoque percipit sed statu normali nec distinctum nec articulatum. Maxime percipitur, in fossa axillari, inter basim scapulae et columnam vertebralem, in angulo quem clavicula et Sternum componit. Clarius est in infantibus et sexu sequiore, minus clarus in viris profundiore voce gaudentibus. *Resonantia* haec fit statu morbososo, per adhaesiones hepatisationm, per tubercula solida, etc. eo fortior, quo meliorem sonorum conductorem pulmones sistunt, dein vero et aliis ac memoratis locis abnormiter comparet.

Vocis sthetoscopio perceptae alienationes morbosae hae frequentiores ab auctoribus adducuntur.

Bronchophonia, quam Laënnec ita describit ac si vox in extremo applicationis sthetoscopij, articulata audiretur quin sonus totam ejus longitudinem perstringat, tum et respiratio bronchialis adesse consuevit.

Pectoriloquium dicitur vox paene articulata, naturali clarius per totam tubi longitudinem penetrans ac si ex Sthetoscopio aeger directe loqueretur. *Pectorilquium* distinctum, perfectum constans qua signum infallibile exulcerationis cavae omnes auscultationem profitentes habent. Quo superficie propior excavatio eo distinctius, distinctissimum in accretione Pleurae. Cum experientia docuerit tuberculosin in superiore inflammaciones in inferiore parenchymatis parte inchoare et residere in partibus quoque superioribus frequentissime auditur. Intensitas pectoriloqui a vocis naturalis intensitate a cavi magnitudine, a parietum cavi densitate pendet. Infantes ideo et sexus sequioris individua voce naturali ac-

tiore utique praedita, majori cautela per vestiganda, erunt antequam judicium feramus. Liquidum quoque alternatim in cavo praesens et expectoratione iterum evacuatum reddit pectoriloquium intermittens, unde fit ut saepe Rhonchus concomitans pectoriloquium reddat obscurum. Nonnunquam pectoriloquium fit *dubium imperfectum* ad modum ventriloquii suppressum. Cum ergo Pectoriloquium perfectum phthiseos certum indicium habetur, quo a solo catarrho chronicō differt, operaे pretium certe foret, quemlibet aegrūm hocce obtutu scrupulose investigare de phthisi suspectum.

Aegophonia ut nomen ($\alpha\iota\zeta$) indicat est vox caprizans in majorem ac pectoriloquium extensionem diffunditur et praesertim in regione superiore inter scapulam et sternum intermedia audiendum se offert, signum effusionis factae, aut pseudomembranae praesentis habetur hinc et in hydrothorace solennis, et in pleuritide intensa invenire est.

Tintinnitus metallicus, ac si a lamina vitrea aut metallica productus, cavum a massa tuberculosa solida vestitum et aere repletum indicat.

De Auscultatione cordis.

Motum cordis aperte videri, sentiri pulsumque audiri, notum utique est, dum hoc viscus penitiori Stethoscopii examini subjiciatur soni distinctiores aut strepitus, variae indolis, obscuriores, aurem auscultantis ferriunt, eorum diversam intensitatem, extensionem, qualitatem et rhytmum sive in statu normali sive abnormi, determinare auscultatio conatur. Attamen nunquam prætervidendum, recensita momenta alias atque alias subire alterationes pro varia aetate, sexu et individualitate, diversosque aliosquoque influxus ut thoracis conformatio, animi pathemata, spirituosa hausta citra omnem statum morbosum modificationes inducere valere.

Sonos principales auctores ictibus horologii (tik-tak) aut Epistomii in antlia sursum aut deorsum agitati comparant, Rhytmus quo sese excipiunt singuli ictus hic observantur: Sonus prior minus fortis diutius durans cum systole ventriculorum isochronus, secundus fortior, altior brevior cum Diastole isochronus est, inter utrumque sonum intercedit pausa minor, post alterum pausa major — quies — In hominibus macilentis melius ac in plethoricis et obesis auditur. —

Locus pulsationis ventriculi sinistri ad cartilagines 5. et sextae costae, ventriculi dextri ad sterni partem inferiorem, apicis allitus in spatio intercostali earum costarum, situi cordis respondens deprehenditur. Ceterum quo locus auscultationis a corde remotior, eo etiam debilior, in macilentis et infantibus in omni thoracis plaga, immo in his et in latere colli subinde percipiendus occurrit.

Extensio sonorum statu pathologico increscens, eam sequitur viam, ut primo in antica thoracis facie diffusus audiatur, dein in parte postica sinistra et ultimario, rarius tamen, et in dextra postica.

Impulsio quoque variat intensitate ut vel debilis infra normam vel plane violenta observetur. Sonorum differentias quoad intensitatem adnotarunt auscultatores adeo memorabiles, ut subinde molae in longinquu agitatae strepitum, subinde sthetoscopio vix percipiendum referant, quoad qualitatem soni a primitivo charactere saepe deflectunt, et in merum strepitum abeunt, vel sonos simul comitante strepitu variae indolis audivisse testantur.

Ut momenta causalia, sonos et strepitum diversum producentia explicarent, diversa ab auctoribus prolata sunt theoremata, quamvis ab aliis iterum refutata, nosse iuvabit, cum ex opinionum diversarum recensione, elementa saltem anomaliarum possibilium, indeque valor semiotico-auscultatorius luculentius innotescant.

Galenus, Harvey, Haller aliique antiquiores et cum illis Laennec et Corvisart, a contractione et expansione fibra- rum muscularium alternante derivant.

Pigeaux ex appulso sanguinis in ventriculos primum, (ab eo inferiorem nuncupatum), et ex appulso sanguinis in aortam et arteriam pulmonalem, secundum (seu supe- riorem) sonum explicat.

Hoppe cor semper plenum supponit sanguine, et pro hac ejus opinione, affrictus columnae sanguinis ex atrio afflu- entis ad massam in ventriculo praesentem producit sonum. *Magendie* evincebat primum sonum per allum apicis ad thoracis parietem, alterum a facie cordis antica, ven- triculi scilicet dextri sub Diastole allidente excitari. *Rouan t* sonum unum a collisu valvularum ipsarum ad invicem sub erectione, *D. William* a relapsu harum ad parietem ventricularum dedit, *Turner* relapsum cordis versus pericardium, *Corrigan* affrictum parietum ventricularum sub systole vacuorum pro causa soni adducit.

Burdach ab introitu sanguinis in ventriculos aere pro parte repletos excitari demonstrat. *Societas medicorum brittanica* multis experimentis et observationibus institutis, post frequentes elucubrationes eo pervenit, ut opinio- nem statueret sequentem summe quidem probabilem sed omni dubio minime immunem: Sonus primus sub systole excitatur, partim ab unda sanguinis supra inaequalem internam cordis faciem torrentis, partim fibrarum muscu- lium contractione producitur, non autem ab allu apicis ad parietem thoracis, cum in animalibus dissectis quoque pariete integro remoto auditus fuerit idem sonus. Concep- dent tamen per laminam ossium firmam sonum intensius propagari. Sonum alterum valvularum actioni adscribunt.

Skodda affirmat tam sinistrum quam dextrum ventricu- lum, et non minus arteriam pulmonalem quam aortam et pri- mum et alterum producere valere sonum, et a diversa ex-

tensione, diverso situ cordis et organorum vicinorum condizione, causam suppeditari, cur modo hujus, modo illius partis pulsantis audiamus sonum. In specie autem sonus primus in corde ipso dum obtinet per appulsum sanguinis ad valvulas producitur, cordis allitus nonnunquam sed minime semper possibilis, ideoque nec semper pulsum ciebit. Secundum sonum in corde semper obtinere vix demonstrandum esse ait, sed potius in arteria pulm. aut aorta excitatum in cor propagari, verosimile habet. Dum autem a pulsu arteriarum minus explicandum ea ratio suadet, quod sonus supra cordis basim minus clarus percipiatur, ad apicem autem clarior observetur, ingeniose derivat a *repentina avulsione apicis* cordis cum pericardio sub systole glutinantis. Diversitatem sonorum, secundum ilius experientiam, varia valvularum, Endocardii et ostiorum vitia inducunt. Praeterea disquisitionibus anatomicis in facie valvularum ventriculo conversa praesentiam saccularum (Taschen) priorum evincit, qui peculiari insertione fibrarum muscularium, muscularum pyramidalium constiuntur, ita ut valvula integra, quasi ex pluribus minoribus conflatae imaginem prae se ferat, quarum quoque obliterationem insufficientiae ansam dare nonnunquam monet.

De statu morboso cordis.

Extensio sonorum super plagam majorem cum Rhytmus intermitte, impulsione solito debiliore, sono autem clariore, cor dilatatum et substantiam ejus attenuatam eloquuntur, soni autem in regione cordis concentrati cum impulsione fortiore et strepitu levi Hypertrophiae signa (Laennec). Sed non infitiandum et aliorum organorum vicinorum varia vitia, quibus supra modum extenduntur; indurantur similia symptomata producere posse, sic pulmones infarcti pericardium induratum, partes cavi mediastini anterioris degenerantes alio atque alio modo sonos concentrationes vel diffusos magis reddent, quare solum in com-

putatione aliorum quoque symptomatum valorem dictorum semioticum confirmari et hic in memoriam revoco.

Soni cordis principales distinete percepti, lusum valvularum inalteratum supponunt, valvulis autem quocunque modo in functione turbatis soni normales alterantur vel strepitui variae indolis cedunt.

Valvularum actio perturbatur vel dum ossicantur, vel dum excrescentiis cartilagineis aut polyposis obsidentur, vel nimium elongatae, vel abbreviatae existunt vel perforatione aut rescissione insufficientes fiunt. Endocardium et ostia, similia offerunt vitia organica quibus coaretata sanguinis fluxum impediendo, sonos normales mutant aut strepitum producunt.

Inter diversas ab auctoribus recensitas strepitus abnormis species referuntur strepitus *serrae*, *raspae limae et folliculi* (bruit de rape, de scie, de lime, a bois, b. de soufflet) qui soni secundum Bouilland qui cadavera aegrorum diu ante mortem observatorum indefesso scrutatus est studio, totidem indicia sunt, vel coarctationis ostiorum, vel concrementorum variorum intra cordis cava vel valvularum insufficientiae, qua cum experientia et observationes aliorum auscultatorum consentiunt.

Memoratur adhuc a Collin *strepitus corii recentis* (bruit de cuir neuf) ex confictu pericardii cum corde sub pericarditide aut pseudomembrana praesente.

Auscultatio arteriarum.

Arteriarum ramos majores pulsum in regione cordis producere, qui perperam semper ipsi cordi adscribitur monet Skodda, sed omnes arteriae, quarum ob superficialem situm ictus eminentius emicant, dum auscultatione subjiciuntur strepitem edunt obtusum, pressione stethoscopii augendum, cuius intensitas pro lumine vasis et pro

celeritate pulsus, proinde pro diversa individualitate variat
e xplicatum facile habet ex sanguinis ad parietes vasorum
elasticitate sua resistentium, affictu — similis describitur
strepitui, confictu duorum digitorum producto. Inter ab-
normes strepitus referuntur:

a) *Strepitus folliculi intermitteri* (bruit de soufflet intermittent) auditur in arteriis a tumoribus pressis, in **Aneurysmatibus**, in arteriis ossificatione coaretatis, sed et in individuis macilentis keneangicis sub incitatione majori systematis vasorum.

b) *strepitus folliculi continui* (bruit de soufflet continuo) validiorum ventriculi cordis contractionum sequela.

c) *Strepitum peculiarem assignant* (bruit de diable) qui a specie *carri* in gallia „diab le“ dicti nomen sortitus est, cum cuius strepitu dum movetur similitudinem habet. Auditur in primis in *carotidibus* et *subclavia* chloroticarum. Sub motu, sub situ mutato; et aliis causis vix explicabilibus intermittens observatur. Momentum ejus causale alii a laryngis et tracheae vicinitate repetunt, quae utpote corpora cava solida, resonantiam augent, alii supponunt ex subdivisione arteriae Carotid. et subcl. in plures ramos et majore inde columnae sanguinis affictu enato strepitum produci, quae sententia eo probabilior est, cum pressione infra auscultationis locum exserta, penitus dispreat.

d) *Cantus arteriarum* (chant des artères) susurrum apum et vesparum aemulatur (Laennec).

Plurima horum symptomatum recensitorum Keneangicis et chloroticis adeo solennia habentur ut in magna copia talium individuorum investigationi subjectorum, vix unquam defuisse, per sanguinis depletionem inducta, et per usum tonicorum iterum dissipata fuisse, contendant observatores.

De auscultatione gravidarum.

*Lejumeau de Karadec et post eum omnes fere auscultatores profitentur, pulsum cordis foetalis post vigesimam septimanam per parietes abdominales matris percipi posse. Pulsus foetalis, graviditate progrediente fit fortior et celeritate decrescit. Praeter pulsum foetalem ad fundum uteri, insertioni placentae respondentem (ut plurimum ad latus umbilici dextrum) animadvertisit strepitus cum flatu conjunctus, pulsui matris isochronus *strepitus placentaris* nuncupatus. Strepitus placentaris, cum et a sola arteriarum vicinarum per uterum gravidum pressione explicatum habere possit, et in aliis quoque organorum abdominalium augmentis observatus fuerit, non semper ideo pulsui arteriarum umbilicalium adscribendus, graviditatis symptoma minus certum (sed minime semper fallax) ac pulsus foetalis est. Strepitus placentaris citius ac pulsus foetalis sese insinuat, proinde diagnosim coadjuvat.*

Quae cum experientia celebrium quoque obstetricatorum comprobata habeantur, qui in Leuchodochiis majoribus, iteratis disquisitionibus de rei veritate sese convictos profiteantur, consectaria exinde pullulantia majoris profecto valoris forent, quam ut hujus doctrinae exercitium spernamus aut plane qua scurrile damnemus; nam per pulsum foetalem et strepitum placentarem, fors contingit graviditatem genuinam, securius ab aliis graviditatem mentientibus morbis dignoscere, graviditati fors extrauterinae, situi foetus, praesentiae geminorum exactius determinandis casui uni alterive forensi illustrando auxilium subministrabit.

Auscultationis applicatio in diversis affectionibus.

Ad verificandam calculorum in vesica urinaria praesentiam Sthetoseopium in symphisi ossium pubis applicatum, al-

lisum cathetheris introducti ad calculum, clariorem et distinctiorem reddit, ac nuda auri perceptum. Calculo non praesente strepitus auditur obtusus, urina autem ibi collecta strepitum reddit gargarizantem (Roux, Scoda) Parisiis vix absque praevia investigatione auscultatoria cystostomia instituitur. Ad crepitationem in fracturis ossium clarissim distingueandam, indeque locum fracturae exactius determinandum apte in auxilium vocatur (Lisfranc). Ossa tanquam corpora solida sonum longinquius propagando in remotiore quoque a fractura loco crepitationem audiendam offerunt, dum ob intumescentiam in ipsa affectionis plaga obscura reddatur. An et ad Ascitem a tympaniti de aut aliis similibus affectionibus dignoscendum, ad calculos felieos detengendos, ad develandos quospidam status morbosos organi auditus, antri Hygmorri, sinuum frontalium ad effusionem serosam in Enkephalo divinandam (Fisher) — auscultatio ut fervidissimi illius asseclae asseverant cum fructu adhibenda sit, a futuris exspectandum, — id saltem sperandum, quod proficua subministrare poterit adminicula, ad determinandum locum, quo focus morbosus maxime resideat quo potissimum loco fonticuli, hirudines, setacea, vesicantia etc. utiliore cum successu admoveantur, quo paracentesis vel aliae similes operationes majore cum comodo instituantur. —

De percussione.

Percussio instituitur vel solis digitis vel *Plessimetro*^{*)} altera *immediata* altera *mediata* nuncupatur. Scopus eius est ex sono per allsum producto, consistentiam et extensionem organorum absconditorum eruere, in quantum a normali abludunt, unde liquet sonos statu sano propiciendos praevie cognoscendos esse. Percussionem sem-

^{*)} Plessimetro a πλησίω percusio et μέτρον mensura.

per auscultationi praemittamus oportet, prior locum affectionis ut plurimum detegit, dum posterior affectionem accuratori analysi subjicit.

Immediatam sequenti modo exercendam svadent: Aeger vel situ erecto vel sedentario investigetur cum stracula resonantiam impedian, vel saltem imminuant. Locus investigationis sit leviter obtectus, fiat percussio quatuor digitis ad unam lineam apicibus coadunatis, pollice ad secundam tertiamve phalangem opposito, allitus sit velox manus identidem retracta, singuli ictus eodem robore in utroque latere, plaga ad amussim paralella infligantur, musculi in parte exploranda aliquantum praevie tantur. Fiat in ossibus et nonnisi in obesis in spatio Intercostali, semperque cavendum, ne sit molesta aut dolorosa hinc infantes uno sufficit percutere digito. Hac ratione soliciter instituta soni profundiores constanter in uno latere aut una plaga circumscripta auditii infarctum vel effusionem vel hepatisationm prodere valebunt. *Percussio mediata* Plessimetro seu lamina eburnea orbiculari instituitur, cuius diameter duorum pollicum, crassities unius lineae sit, margo vel in tota peripheria vel duobus saltem punctis oppositis ad aliquot lineas elevatus sit, quo facilius instrumentum figatur. Digitis quoque ipsis manus sinistrae pro plessimetro uti solent, sed qui maioribus in nosocomiis percussionem exercent plessimetrum commodius adhibent, in interstitiis costarum utique digito aptius conceditur locus.

Percussio mediata immediatam praestat, cum minus sit molesta et plessimetro qua solida lamina tenuis, et elastica levius etiam perculta, distinctiores provocat oscillationes. Praeterea et organa cavi abdominis profundi sita plessimetro investigare admittit, cum ejus operethca abdominalis facile comprimatur. *Applicatio Plessimetri* has fere sibi exposcit cautelas: plaga explorandae apprime adponatur, pressione modica instrumentum si-

gendo ne moveatur loco. Percussio fit digito indice vel simul et medio, ad semicirculum flexis et apicibus ad unam lineam unitis evitando unguium allissum, manumque celeriter retrahendo. Manum solam in articulatione movere ideo consultum est, quod totius brachii onus molestum foret sonumque nimia pressione impediret. Situs optime comedandus sedentarius. Reliqua quae supra de immediata percussione memoravimus et hic notanda veniunt. Percussionem in diversis corporis regionibus alios atque alios offerre sonos docuit Pyorry, qui pro discriminanda diversa eorum intensitate ac qualitate hanc proposuit scalam gradativam a profundioribus ad acutiores adscendentem : *Sonus femoralis, jecoralis, cordis, pulmonalis, intestinalis, stomachalis, osseus, humoralis et hydaticus* (ex tumore cavo, aere repleto et apertura angusta proviso). Inter hos qua maxime distinctivos describit sonum *acutissimum, ossium : sonum trementem, humoralem*, ex cavo pro parte aere et pro parte gaze replete, et *hydaticum*. Hoc Schema Skodda qua fundamento carens reprobat affirmans: singulum viscus vix proprium edere sonum, imo in uno eodemque pro vario situ, tensione et extensione organorum consistentia ac elasticitate partium externarum ad quas percussio immediate fit, diversos, et in diversis similem posse produci, proinde per scalam simplicem variam sonorum qualitatem non satis praegnanter designari, sed quadruplicem scalam sub schemate sequenti proponit, intensitatemque majorem aut minorem (vom Mehr zum Weniger) distinguendam in singula serie docet

1. a sono pleno ad vacuum
2. a „ claro ad obtusum
3. a „ tympanico ad non tympaniticum
4. a „ alto ad profundum

Primam seriem ad magnitudinem et extensionem, organi referens, sonum diutius persistentem et supra majus spatum extensem „plenum contrarium vacuum“ appellat. Vacui exemplum praebebit S. femoralis Pioryi, pleni imaginem sistunt plumones sani extra cadaver percussioni subjecti. Sonus itaque vacuus in thorace obvius infiltrationem aut hepatisationm pulmonum indicabit. — Alteram seriem ad resonantiae gradum refert expressionesque sensu consueto sumit, sonus valde obtusus utique et vacuns est. Sonus tympaniticus in pulmonibus emphysemate considerabili inflatis, non tympaniticus in sanis pulmonibus erit, monet autem, intestina nimium aere inflata et tensa minus tympanitice ac ad dimidium plena resonare. Minimi valoris ultimario recensitam habet seriem vocesque sensus vulgaris explicat.

Praeterea et *resistentiae* gradus, quam partes percussae in digitum allidentem exserunt, ratio habenda erit, partes infiltratae hepatisatae, induratae majorem, normales minimam resistantiam exserunt. Simul tamen et simbola, quam diversa crassities et elasticitas parietum osseorum muscularum supra stratorum, et integumentorum ad resistantiam exserendam conferunt, caute computanda est, ut ad organa infra haec abscondita valeat conclusio.

Succussio et mensuratio

Praeter methodos laudatas succussio quoque et mensuratio aliquantum luminis in diagnosi morborum impressis pectoralium affulgent. Truncus aegri sedentis celeriter et repetitis vicibus succussus sonum edens qualem producit lagena ad dimidium aqua repleta, liquidi in cavu thoracis praesentiam testatur.

Mensuratio. constat in accurata utriusque lateris quoad expansionem comparatione. Instituitur in aegro vel

sedente vel pedibus insidente, brachiis libere pendentibus, ope fasciolae, in hunc finem mensura motatae, aut simplici funiculo. Mensurata praevie thoracis integri circumferentia, singula dein medietas a prominente in eadem altitudine processu spinoso, usque sterni medium, eidem altitudini respondens definitur, et sedulo comparatur.

Experientia quidem docet, lineam intermedium vix se mper corporis partes in aequales distribuere medietates, ast in latere deflexionem considerabiliorem offerente, visceris ibi reconditi a norma aberratio organica, haud immerito suspicanda erit, sedem saltem mali, comparentibus symptomatibus morbos luculentiorum inde fieri liquet. Utriusque lateris inaequalis expansio a nativitate recepta aut per influxus sive mechanicos sive dynamicos mature inducta, evolutionem organorum internorum praepedit, et viceversa viscerum internorum morbi, in primis inflammatorii pulmonum ante plenariam Skeleti perfectionem exantlati, et in accretionem vel hepatisationm partialem finiti compaginis osseae corespondentis evolutionem retardant, unde patet mensurationem, non omni commodo carere eamque in morbis pectoralibus haud absonam esse.

Theses.

1. Symtoma auscultatoria nonnisi relativa quidem attamen magni valoris sunt.
 2. Organica quo plura et quo citius generant, eo citius pereunt.
 3. In systemate nervorum medullae spinalis, praeter functiones notas et peculiariis, a reliquis non derivanda adest — Functio reflexiva.

Marshall Hall.

4. Opinio Neumanii ^{o)} qua vasa lymphatica mera vi capillari, modo magis mechanico agere nec vi assimilatoria gaudere contendit — non stat.
 5. Opium est potentissimum excitans et cardiacum, simul autem et sedativum narcoticum maxime praecipuum. Actio illius altera ab altera non est derivanda, sed *proprio, miro, intimo* utriusque potentiae connubio hocce heroicum pharmacon prae reliquis eminet.

Hufeland.

6. Miotomia ocularis — non solum venustati consu-lens, sed et catervae affectionum oculo ex stra-bismo minantium remedium praeservativum secu-rum, unicum — magnopere commendanda.
 7. Libera formularum medicarum e pluribus pharma-cis compositio, tantum abest ut sit damnosa, ut tanquam una ex momentosissimis medicinae ra-tionalis praerogativis sit aestimanda.

^{*)} Allgem Patholog. Seite 149—152.

and the author of the former depends on the latter
and the former is derived from the latter.

There is also a difference between the two
inasmuch as the former is derived from the latter
and the latter is derived from the former.

The former is derived from the latter
and the latter is derived from the former.

The former is derived from the latter
and the latter is derived from the former.

The former is derived from the latter
and the latter is derived from the former.

The former is derived from the latter
and the latter is derived from the former.

The former is derived from the latter
and the latter is derived from the former.

The former is derived from the latter
and the latter is derived from the former.